

potest similitudo de *purpura regis*, quæ omnem unionis personalis rationem evertit. Non enim hæc se ad modum istius habet unionis, quæ inter regem est, & regis purpuram; sed quæ inter hominis animam est & corpus, atque adeo regis, qui una persona est, animam & corpus, ex quibus constat. Ipse certe Bellarminus addere monitum debuit in Catechismo, p. 40. *non solum, ut purpura cum rege connexa est, sed multo copulatius & arctius, nimirum per unionem personalem.* At multo copulatius & arctius corpus regis cum ipsius anima connexum est, per unionem in unitate personæ; quam regis purpura, cum rege ipso. Cur ergo hoc simile ita placet ubique, & dicitur *oppositum* esse, quo unionis personalis nexus non adstringitur, sed laxatur, cum detur arctioris connexionis simile?

7. §. 33. Negamus 7. *æqualitatem* humanitatis ipsius cum Deo requiri ad veram participationem divinæ gloriæ & potentiæ. Neque exæquatur humana natura Verbo, quando particeps esse gloriæ Verbi asseritur, cum gloria ea e Verbo non exeat, nec transfundatur in humanitatem, nec fiat per communicationem ejus propria. Habet enim, quicquid habet in unione cum Verbo, ex gratia unionis cum illo personalis, & exaltationis. Ait 8. *habere per gratiam, non est habere illam ipsam majestatem, sed quandam ejus participationem, quæ non sufficit ad constituendam sessionem, de qua loquimur.* Atqui loquimur utique, & voluit ipse loqui Bellarminus, de ea sessione, quæ in scriptura & symbolo docetur. In scriptura vero illa exaltatio ad *gratiam* refertur, Philipp. II, 9. *ἐξαιτίας χάριτος, donavit, ex gratia dedit.* Hæc *χάρις* gratia eam majestatis divinæ participationem dedit, quæ ad sessionem eam sufficit, de qua loquimur cum scriptura & symbolo. Deinde, quæ vel qualis est illa participatio, quæ ad sessionem non sufficit? Nestorii hæresin exposuit hoc libro 3. de Incarn. c. 5. *Filium Dei unitum esse filio hominis. Quarto secundum participationem, quia Verbum illi homini imperavit nomen & dignitatem suam, ut nimirum Deus, & Dei Filius vocaretur, & ab omnibus creaturis adoraretur, non propter se, sed propter eum, a quo assumptus fuerat: EO MODO quo imagines Sanctorum nominibus eorum interdum appellantur, & propter eos etiam honorantur & adorantur.* Hanc participationem habet Bellarminus hæreticam.
- Quæ